PSALMVS CXXX.

CANTICVM GRADVVM.

A

INstituitur hoc Psalmo populus Israelis, in captiuitate propter iniquitates suas constitutus, vt ad Dominum suspiret, primùm pro peccatorum suorum remissione; deinde pro liberatione. Existimant hoc canticum in captiuitate Babylonica esse compositum. Meo tamen iudicio non est affectus iste alienus ab exilio Dauidis, in quo vir ille vtiq; sciebat, tyrannidem Saulis peccatis populi deberi: illiusq; nomine ad Dominum, remissionis ac liberationis gratia, noctes ac dies ingemiscebat & clamabat.

VERS. 1. *DE profundis inuoco te Domine.*

2. Domine audi vocem meam, sint aures tuæ attendentes ad vocem deprecationis meæ.

3. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet?

4. Quoniam apud te est propitiatio, propterea coleris.

5. Expecto Dominum, expectat anima mea: & verbum eius expecto.

6. Anima mea ad Dominum, magis quàm custodes ad tempus matutinum, obseruantes tempus matutinum.

7. Expectet Israël Dominum: quoniam apud Dominum benignitas, & multa apud eum redemptio.

8. Et ipse redimet Israëlem ex omnibus iniquitatibus eius.

LECTIO. *Propterea coleris.* Ebr. למען תורא id est, *Propterea timeris*, vel, *vt timearis* aut, *propterea quòd timeris.* Videtur autem verbum ירא positum, pro cultu & obseruantia Dei. Ideo verti: *Propterea coleris.* Græc. sic: ἕνεκεν τῦ ὀνόματός σου: id est, *Propter nomen tuum.* Vulg. Lat. *Propter legem tuam.* Videtur ille interpres legisse תורה pro תורא Chald. sic: מן בגלל דתתחמי: id est, *Vt videaris, vt obserueris.* Hieron. *Cùm terribilis sis.* Felix: *Vt timearis.* Sic & Iustin. & Pagnin. Camp. *Sicq; ad sinceram venerationem tui inuites.*

Expecto Dominum.] Ebr. קויתי יהוה. Græcus & vulgata Latina: *Sustinui te Domine.* Hieron. *Sustinui Dominum.*

Vers. 5. *Expectat anima mea.*] Græc. & vulg. Lat. sic legunt, ac diuidunt ista: *Sustinuit anima mea in verbo eius, speruit anima mea in Domino.*

Vers. 6. *Magis quàm custodes ad tempus matutinum.*] Ebr. משמרים לבקר שמרים לבקר Quod potest legi, vel, *A' custodientibus ad mane, custodientibus ad mane*: vel, *Præ custodientibus ad mane, custodientibus ad mane.* Græc. & vulg. Lat. *A' custodia matutina vsq; ad noctem.* Hieron. sic: *A' vigilia matutina vsq; ad vigiliam matutinam.* Iustin. *A' custodia matutina, vsq; ad custodiam matutinam.* Tigur. *Ab agentibus vigilias matutinas, vsq; ad agentes vigilias matutinas.* Felix: *Supra obseruantes mane, obseruantes mane.* Pagn. *Magis quàm custodes mane, custodes mane.* Munster. *Ante custodes matutinos, custodes*, inquâ, *matutinos.* Camp ראבע sequutus, versum hunc sic paraphrasticè reddidit: *Anima mea ardentiùs expectat aduentũ Domini, quàm vigiles nocturni tempus matutinũ, vigiles*, inquam, *qui somno grauati, matutinum expectant tempus, quo dormire liceat ipsis.* Reliqua satis concordant.

B

EXPLANATIO. Diuisio Psalmi quadripartita est. Primis duobus versibus inuocat Dominum, & orat, vt exaudiatur. Deinde tertio & quarto ambit remissionem peccatorum. Tertiò meminit spei & expectationis suæ, versibus 5. & 6. Postremò hortatur Israëlem, vt Dominum expectet: polliceturq; futurum, vt redimatur. Facit hoc duobus postremis versibus.

Vers. 1. & 2. *E' profundis inuoco te Domine.*] Illud, *E' profundis*, exponunt Græca scholia, *è profundo corde, ex imis animi sedibus, ex intimis cordis penetralibus.* Kimhi Ebræus dicit habere metaphoram profundarum aquarum, quòd populus è captiuitate, perinde atque è profundis aquis ad Dominum clamârit. Non videtur inconueniens, vt *profundis aquis* comparari intelligamus graues adflictiones, è quibus pius animus ad Dominum perinde clamârit, ac si quis validis aquis correptus, ad cœlos clamet, & auxilium à Deo anxiè quærat.

Domine audi vocem meam, sint aures, &c.] Rem eandem bis dicit, pro more eorum, qui ex abundantia cordis loquuntur. Et id Dauidi in consueto, vt has voces coniungat: *Clamo ad te Domine, audi vocem meam, inclina aurem tuam ad preces meas.* Vnde facilè crediderim, esse hunc Psalmum Dauidis.

Vers. 3. & 4. *Si iniquitates obseruaueris.*] Orabat pius animus pro liberatione Israëlis. Occurrebat esse illum adflictum propter multas & graues iniquitates. Suspirat igitur pro remissionis gratia. Petitionem illius non exprimit verbis, sed & necessitatem eius, & catholicam omnium fidem ac spem profert. *Si iniquitates*, inquit, *obseruaueris*, vel *reseruaueris*: id est, retinueris, vt non remittas, *Domine quis subsistet?* Q. d. Pereundum est omnibus. Illud latet in affectibus. Si remittis autem, quare non remitteres populo tuo: tot modis misero & adflicto? Emphasim ardentis animi in eo expressit, quòd vocem hanc, *Domine*, ingeminauit, dicens: *Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis subsistet?* Addit versu 4: *Quoniam apud te propitiatio, propterea coleris.* Q. d. Verùm scimus esse apud te propitiationem, qua iniquitates humiliatis ac resipiscentibus remittas. Et hanc ob causam coleris. Etenim quæ alia est colendi, obseruandi, & venerandi tui ratio miseris & peccatoribus, quàm hæc vnica, quòd scimus esse te Deum propitium, clementem, misericordem, & multæ miserationis? Propitiare igitur peccatis populi tui.

Vers. 5 & 6. *Expecto Dominum.*] Absoluta precatione, conuertitur ad populum Dei, & primùm illi de sua spe & expectatione